UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antiquo-Novum Oraculum Miraculum. Das ist: Lebensthat/ Krafft und Wundermacht Des Heiligen Jn allen Anliegen mildreichisten Noth-Helffers Antonii von Padua

Caccia, Franciscus

Saltzburg, Anno M.DC.XCII.

Approbatio Reverendissimi Consistorii Salisburgensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41320

Visual Library

APPROBATIO
Reverendiſſimi Conſiſtorii Salisburgenſis.

CUm præſens Liber intitulatus Antiquo-Novum Miraculum & Oraculum St. Antonii de Padua non tantùm veræ Catholicæ Religioni nihil diſſonans, aut bonis moribus inconveniens in ſe habeat, verùm admirandam Magni hujus Sancti Vitam, & innumera præclariſſima Miracula, quibus à Deo ſpecialiter illuſtrari merebatur, tum Hiſtoricè, tum Oratoriè ex Teſtimoniis fide dignis ſolidè & concinnè tractet, ita ut cunctis eum legentibus magno ſolamini, & Devotionis Excitamento eſſe poſſit, ideò publicâ luce & prælo dignum cenſeo

JOANNES JACOBUS FRELICH
De Frelichſpurg SS. Th. D. Celſ. & Rev. Principis ac Archiepiſcopi Salisburg. Conſiliarius Conſiſtorialis, & Canonicus B. M. V. ad Nives.

Præſens

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PRæſens Miraculorum Liber à S. Antonio Paduano patratorum intitulatus Antiquo-Novum Oraculum, Miraculum Mundi, ab A. Reverendiſſimo Patre Franciſco Caccia Almæ Provinciæ Auſtriæ Diffinitore habituali, Concionatore Clariſſimo, & Commiſſario Generali Terræ Sanctæ per Sacrum Romanum Imperium &c. concinnatus luculenter oſtendit, ac omninò confirmat in Divo Antonio verum eſſe, quòd de ſe ipſo dignatus eſt eloqui, dicendo: Si exaltatus fuero à terra (in Cœlum) omnia traham ad me ipſum, utpote, quod Divus Antonius in Cœlo gloriosè regnans extra illud miraculosè reſplendens, omnium hominum corda, affectus, Suſpiria, animos, totamque creaturam ad ſe trahat, ut eam ſuo in ulnis, vel ut in throno, ſedenti Jeſulo offerat, devinciat, & ſacrificet, hoc inquam præſens Oraculum, Miraculum Mundi apertè exhibet, eò quòd Divus Antonius in poſſibili circumſtantiarum peryſtaſi ſe auxiliatorem præbeat, ut omnes ad eum duceret, qui auxiliator eſt ſine auxiliatore ſcilicet DEUM, cum igitur mihi Liber hic de Commiſſione Admodùm Reverendi Patris Miniſtri Provincialis pro Cenſura concreditus fuerit, & per eum gloria Divi Antonii ſummum accrementum ſuſceptura ſit, utque ſic DEUS in ſuis Sanctis magis laudetur, eum prælo dignum cenſeo. Datum in Conventu noſtro Græcenſi die 26. Maji 1690.

P. Fr. Donulus Pauli SS. Theologiæ Lector
Primarius Græcenſis.

Mirabilis omni tempore DEUS in Sanctis ſuis Eccleſiam ſibi unicè dilectam meritis Beati Franciſci non ſolum fœtu novæ prolis amplificat, verùm etiam perpetuis Miraculorum ſplendoribus per Beatum Antonium illuſtrat, ut is in hoc præſenti opere ab Adm. Rev. Patre Franciſco Caccia Almæ Provinciæ Auſtriæ Diffinitore habituali, Concionatore Clariſſimo, in Reſidentia ad omnes Sanctos Præſidente, ac Commiſſario Generali Terræ Sanctæ per Germaniam compoſito, non immeritò Oraculum, Miraculum Mundi intituletur, utpote, qui in dies ubiq; terrarum nova operatur Miracula, quæ, quia authenticis teſtimoniis conformia reperi, ideò imprimi poſſe cenſeo, ut omnes ea lecturi in ſuis afflictionibus, & neceſſitatibus ad hoc Oraculum confugere poſſint. Datum in Conventu Græcenſi ad D. Virginem aſſumptam die 26. Maji 1690.

Fr. Daniel Grabmayr SS. Theologiæ
Lector actualis.